



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XIV. Vtrum natura lapsa sufficiat moraliter ad vitanda omnia peccata
venialia collectiuè cum auxiliis ordinariis Gratiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

bet paratum animum ex vi dilectionis ad eandem constanter retinendam, ingruente aduersitate. Igitur dilectio Dei super omnia, siue naturalis, siue supernaturalis, quodcumque, & in quibuscumque circumstantiis concepta, per seipsam est potentia moralis ad obseruantiam totius Legis, siue naturalis, siue supernaturalis, proportionem seruata, ita vt fundet spem prudentem, certe non penitus imprudentem, qualis concipitur circa ea quæ sunt moraliter impossibilia, de præstanda tota lege, & de superandis quibuscumque difficultatibus in contrarium. Dictum autem est quæst. præced. obseruantiam totius Legis naturalis, & victoriam grauium temptationum esse moraliter impossibilem respectu naturæ lapsæ destitutæ Gratia supernaturali. Ergo eidem absque eadem est moraliter impossibilis dilectio Dei naturalis super omnia, quæ est sententia communis Theologorum cum D. Thoma quæst. illa 109. ar. 3.

Ad 1. Transeat contingere aliquando, vt homo in statu naturæ lapsæ sit æquè bene dispositus animo, & corpore, intrinsecus, & extrinsecus, atque foret in pura natura, quod tamen est difficile ex dictis quæst. 9. & quæst. proximè præced. Negandum nihilominus est in natura lapsa non requiri plus dilectionis, ad hoc vt absolute dicatur super omnia, quam requisitum fuisset, non modo in statu naturæ integræ, verum etiam in statu naturæ puræ. Quia est de conceptu dilectionis super omnia promptitudo animi ad superandas omnes difficultates contradicentes rei amatae, & coniunctioni affectuæ cum eadem. Difficultates autem, quæ possunt occurrere in statu naturæ lapsæ, sunt longè maiores, quàm quæ occurrere possent in statu naturæ, vel integræ, vel etiam puræ. Ergo dilectionem Dei oportet esse multò maiorem, vt absolute sit dilectio super omnia comparatione status naturæ lapsæ; Et quidem eo gradu excessus, qui est moraliter impossibilis naturæ lapsæ, etiam pro instanti pro quo nullum est, aut vix est vllum impedimentum temptationis, vt liquet ex dictis.

Ad 2. Actus aliarum virtutum concepti ex motiui vniversalis sunt impossibiles cum quouis peccato lethali; non tamen continent in se necessariò potestatem moralem, & promptitudinem animi vniversalem, qualem continet in se dilectio Dei super omnia. Hæc enim, propter præstantiam incomparabilem sui motiui, & dignitatem specialissimam eiusdem, habet vim specialissimam solidandi in bono, & resistendi cuius contradictioni, quam ceteræ virtutes nequaquam habent, propter debilitatem sui motiui, quæ maxima est, si comparatur cum Deo. Nulla igitur est consequentia obiectionis, cui perperam confidit P. Ripalda.

Ad 3. Motiui dilectionis Dei est vsque adeò validum ex se, vt perfectè cognitum necessiter voluntatem. Ceterum naturæ lapsæ non valet nequidem auferre necessitatem moralem ad oppositum. Quia ratione peccati originalis obscuratur intellectus in ordine ad Deum, & diuina, & tantumdem acuitur in ordine ad temporalia, & inhonestia, vt liquet ex dictis superius semel atque iterum de debilitate naturæ lapsæ. Vnde quod est validissimum, ex sua natura, fit debilissimum: validissimum verò, quod est natura debilissimum, quoad vim pertrahendi voluntatem.



QVÆSTIO XIV.

Vtrum natura lapsa sufficiat moraliter ad vitanda omnia peccata venialia collectiue cum auxiliis ordinariis Gratia?



IDEVR sufficere. 1. Quia potentia moralis vitandi seorsim singula peccata successiue, est potentia moralis vitandi totam eorum collectionem collectiue. Nam vitare singula seorsim successiue, est vitare totam collectionem collectiue. Neque enim aliter vitaret totam collectionem collectiue, qui potiretur speciali Dei privilegio, quàm vitando singula seorsim successiue. Quod si vitare singula seorsim successiue, est vitare totam collectionem collectiue; posse moraliter vitare singula seorsim successiue, est etiam potentia moralis vitandi totam collectionem collectiue. Nempe quorum existentia est eadem, est etiam eadem qualibet eorundem possibilitas, & potentia, quod est euidentissimū. Inest autem naturæ lapsæ potetia moralis ad vitanda singula seorsim peccata venialia successiue cum auxiliis ordinariis Gratia. Nec enim est maior difficultas in vitatione cuiusque venialis seorsim, quàm in vitatione cuiusque lethalis seorsim. Certum verò est, ex sæpe citato testimonio Tridentini, posse moraliter vitari singula seorsim peccata lethalia successiue cum auxiliis ordinariis Gratia, quandoquidem definitum est, totam eorum collectionem esse moraliter euitabilem. Omnia igitur peccata venialia collectiue sumpta vitari moraliter possunt cum auxiliis ordinariis Gratia.

2. Vitatis nouem peccatis venialibus cum auxiliis ordinariis Gratia, superest adhuc, ex vi eorundem, potentia moralis vitandi decimum, quo supponatur compleri multitudo moraliter inuitabilis collectiue cum auxiliis ordinariis. Ergo fieri potest, vt illud viterur de facto. Atqui eo vitato, vitata erit de facto tota collectio sumpta collectiue. Ergo cum auxiliis ordinariis vitari moraliter potest tota ea collectio. Eadem porro ratio est de qualibet alia collectione peccatorum, dierum, annorum. Assumptum autem communiter admittitur, & paulò post patebit negari non posse.

3. In statu puræ naturæ potuisset vitari potentia antecedenti, & consequenti tota collectio venialium. Ergo etiam potest pro statu præsentis cum auxiliis ordinariis Gratia supernaturalis. Pater consequentia. Quia auxilia supernaturalia ordinaria omnia, non solum valent ad æqualitatem virium puræ naturæ, sed etiam ad excessum, aliàs foret melior status quoad modum supernaturalis, restituens bona puræ naturæ, quàm status Eleuationis, ac Reparationis. Probatur antecedens. Quia homo naturali lege tenetur ad vitandam totam collectionem venialium: Nec enim licitum est velle, etiam vagè, committere aliquod veniale peccatum aliquando. Et tamen licitum est velle id, ad quod vitandum non obligat Lex. Nequit autem naturali lege teneri homo ad id, quod est naturaliter impossibile. Est autem naturaliter impossibile, quod pro statu naturæ puræ fieri non posset, non solum potentia antecedenti; sed etiam consequenti. Quatenus non solum ea potentia frustra est, quæ non potest reduci in actum, sed etiam quæ nunquam reduceretur, præsertim si hoc ei conueniat per se, & iuxta exigentiam suæ naturæ.

Art. 1. Resp. Certum est non posse vitari omnia venialia collectiue sumpta cum solis auxiliis ordinariis Gratia pro presenti statu. Quia ita definitum est à Conc. Trident. cap. 11. & can. 23. sess. 6. Et colligitur ex multis locis scripturæ. Impotentia ista vitandi omnia venialia collectiue non est in primis physica, vt putauit Zumel contra communem; sed solum moralis. Siquidem tenemur ad vitanda omnia collectiue, vt nuper rectè assumebatur, & probatur. Deinde eadem impotentia non est purè consequens; quia si omnes, aut plerique communiter haberent potentiam moralem antecedentem ad vitanda omnia collectiue, necesse moraliter esset, vt aliquis ea sic vitaret; Ac proinde daretur de facto ea vitatio absque speciali priuilegio.

Art. 2. Denique impotentia ista nec prouenit ex impotentia morali antecedenti ad vitandum aliquod veniale determinatè sumptum, propter specialem aliquam difficultatem; neque ex lassitudine voluntatis, postquam iam multa vitauit venialia. Non ex impotentia ad aliquod determinatè, quia vnumquodvis peccatum veniale determinatè sumptum, nullo ex capite potest esse vitatu difficilior, quàm vnumquodvis lethale, vt apparet consideranti motiua inuitantia, & retrahentia respectu vtriusque, æquipondantia inuicem cum iusta proportionem. Dictum autem est ex Tridentino, quoduis lethale, imò totam collectionem lethaliū vitari posse potestate etiam morali, cum auxiliis ordinariis Gratia. Nec etiam oritur ex lassitudine, quia innocentia hodierna inuat potius propter habitum bonum, ad innocentiam etiam, & nullatenus retardat. Cum enim voluntas sit potentia spiritualis, non fatigatur repetitione, aut continuatione actuum, saltem immediatè, & ratione sui. Vnde positis aliis requisitis perseuerat semper æquè prompta, ac expedita, quin & expeditior, ac promptior præcedente innocentie consuetudine. Requisita autem ex parte corporis faciliè eadem perseuerare, aut redire, aut etiam meliorari possunt post repetitionem vitandi peccata. Siquidem eorum occasiones, & tentationes non sunt continuæ, nec totam vitam, cui Concilium adnectit impotentiam istam; vel etiam longum tempus plurium dierum, mensium, aut annorum complectitur continuata physice contentio vitandi, quæ lassitudinem pariat dependentem ab innocentie conseruandæ conatu, qui antecessit à principio vitæ.

Art. 3. Imò ob hæc omnia coniunctim sumpta, quatenus includunt habitum bonum, probabilis est per se, lapsus in veniale futurum esse in parte aliqua prioris, potius quàm posterioris temporis completentis totum interuallum impotentie moralis ad vitandam collectionem; Atque ita plerumque contingit. Plures enim sunt, qui non accedunt, quàm qui accedunt proximè ad longum tempus impotentie moralis completium absque vilo peccato veniali, id est, plures sunt qui peccant in priori medietate talis temporis, quàm in posteriori medietate.

Art. 4. Igitur ista impotentia communiter reuocatur ad tria capita; Quorum primum est, Natura Arbitrii humani volubilitas, & facilis in vtramvis partem inclinatio. Alterum est frequens peccatorum venialium prope innumerabilem opportunitas, affrens secum eandem totidem tentationum frequentiam. Tertium est defectus formæ exhibentis inuariabilem constantiam, & vniformem tenacitatem honesti, vt exhibent vno hypostatice, & viso beata.

Art. 5. Adhuc tamen desideratur ratio, ob quam sit antecedenter impossibilis moraliter vniformitas semper bene operandi. Quia defectus formæ exhibentis inuariabilem constantiam, coniunctus cum multitudine occasionum, & cum perfecta in vtramvis par-

tem indifferentia pro vnaquaque occasione, potius persuadere videtur æquè faciliem, ac sperabilem esse antecedenter vniformitatem, aut semper operandi bene, aut semper peccandi; atque est facilis, ac sperabilis difformitas aliquando bene, & aliquando male operandi. Quia singulæ opportunitates cum inclusione omnium requisitorum æquè grauant bilancem in vtrumvis ex illis duobus extremis. Verum nobis facilis, & clara huius rei ratio descendit ex dictis quæst. illa 5. de impossibilitate morali vniformitatis in collectione quamplurimorum, quorum quilibet sit æquè, aut ferè indifferens ad vtramque partem contradictionis.

Art. 6. Eadem namque ratio est de vno quolibet comparato cum ferè innumerabilibus occasionibus, pro quarum singulis sit perfectè indifferens in vtramque partem, atque est de multitudine ferè innumerabili hominum, quorum quilibet sit similiter indifferens. Vtrobique enim adunt eodem modo, eademque cum proportionem plures causæ adæquatæ, quarum quælibet se sola possit impedire vniformitatem, quàm difformitatem quamlibet determinatè sumptam, & quæ possint impedire difformitatem quamlibet minorem, quàm maiorem quamlibet difformitatem. Pro singulis namque opportunitatibus operandi vnicuique occurrentibus adunt singula motiua in vtramque partem, hoc est, adunt totidem causæ valentes inducere difformitatem eadem ratione, quæ singula indiuidua collectionis alicuius possunt eandem inducere.

Art. 7. Eadem igitur ratione qua ibi conclusum est, impossibile esse moraliter vniformitatem collectionis quamplurimorum indiuiduorum perfectè indifferentium ad vtramque partem, & difformitates, quæ sunt minores, ed esse minùs sperabiles, concluditur etiam in presenti, impossibile esse moraliter totalem vniformitatem semper bene, aut semper male operandi in vnoquoque indiuiduo similiter indifferenti, pro occasionibus, & differentiis temporum similiter multiplicibus: Necnon paruum eiusmodi difformitatem contingere in paucioribus, in plerisque verò aliquam ex iis difformitatibus, quæ magis accedunt ad maximam, quàm ad minimam omnium difformitatem, ac proinde plerisque homines sapere vitare, sapere non vitare peccata venialia; idque non omnino per accidens euenire; sed cum fundamento ex parte actus primi, maioris probabilitatis, & spei, ac timoris ita fore, quàm fore opposito modo. Oportet verò pro claritate istarum comparisonum considerare attentè, quæ dicta sunt quæst. illa 5.

Ad 1. Potentia vitandi singula seorsim successiue successione nunquam interrupta, ea verò est potentia vitandi omnia collectiue, non verò potentia vitumque vitandi singula seorsim successiue. Quia si tantum datur potentia vitandi cum successione interrupta, non propterea data erit potentia vitandi totam collectionem collectiue, cui videlicet sic sumptæ opponitur contradictoriè quælibet interruptio. In obiectione autem solum probatur potentia vitandi successiue successione interrupta.

Ad 2. Obseruandum est in casu obiectionis cognitionem vitacionis peccati continuatæ per nouem occasiones, tanquam præmissam inferre, iuxta doctrinam nuper indicatam, cognitionem moraliter certam de peccato exituro in decima occasione: Vitacionem tamen ipsam præcedentem à parte rei, non habere similem vim determinandi voluntatem ad peccandum in decima occasione. Quia, vel non adest pro tunc talis vitatio, nec per se, nec per aliquem suum effectum, vel si adest aliquo modo, potius inclinatur ad vitandum, etiam tunc peccatum. Quare dicendum est, adest in decima occasione potentiam moralem

moralem antecedentem non peccandi coniunctam cum impotentia consequenti, quo eodem prout modo, dicendum est, adesse eandem potentiam, & impotentiam, pro prima occasione, si supponatur futuram esse, ut vitetur peccatum in sequentibus nouem occasionibus: Quam tamen impotentiam patet utrobique esse purè extrinsecam, & intentionalem, cum re ipsa à parte rei eadem omnino vniformis existat potentia moralis respectu singulorum seorsim, ac determinatè, cum impotentia morali vna respectu collectionis eorundem. Videatur quod in simili dictum est quæst. 5. ad 4.

Art. 1. Ad 3. Negandum est pro statu naturæ puræ adfuturam potentiam moralem vitandi totam collectionem venialium collectivè sumptam per longum tempus. Quia ratio superius posita conuincit etiam pro eo statu. Iam verò ad hoc, ut aliquis euentus sit omnino naturalis, non necesse est, posse ipsum moraliter contingere: sufficit enim si contineatur in virtute actiua physica causarum naturalium, ut potest quæ nihil in se continet adæquatè, nequidem physice, quod naturale non sit. Quod ad Legem attinet potest ea absolute obligare ad omne, quod est physice possibile. Quia vis præceptiua superioris, peruenit quo vsque physice peruenit vis physica executiua inferioris, si nullum aliunde adsit inconueniens. Tota namque vis executiua inferioris subest superiori illimitatè iurisdictionis, qualis est Deus, secundum totum, & qualecumque luum posse.

Art. 2. Inquam verò, si nullum aliunde adsit inconueniens. Quia ex Lege obliganti per se, & independentè à culpa subditi ad aliquid moraliter impossibile sub lethali, sequuntur inconuenientia proposita q. 3. Ea verò cessant respectu peccatorum venialium; quia necessitas moralis aliquando in ea labendi coheret cum possibilitate morali, & spe prudenti beatitudinis obtinendæ, & compensatur per necessitatem moralem eadem vitandi sæpe meritorie, & redimendi ad æqualitatem, imò etiam cum excessu, quæ commissa fuerint, per opera meritoria.

Art. 3. Denique illa potentia est frustra, quæ in nullo suo effectu potest reduci, aut in nullo reducitur per se ad actum secundum, considerata specie effectus; non verò, quæ non potest reduci, aut non reducitur considerata sola multitudine. Hoc enim pacto nulla causa non esset frustra. Quia cuiusvis causæ effectus numero distincti sunt infiniti; & per consequens non exequibiles collectivè.



QVÆSTIO XV.

Vtrum auxilia actualia Gratia constituantur adæquatè per illustrationes, & inspirationes supernaturales.



DETVR non constitui per eas adæquatè. 1. Quia vnusquisque in ordine naturali redditur benè, aut malè; plus vel minus dispositus ad operandum moraliter, per qualitates purè physicas animæ, & corporis; Alia namque est dispositio tempore ægritudinis, ab ea, quæ est tempore sanitatis: Alia post somnum, & prandium, ab ea, quæ est post inediam, & vigiliam, & sic de cæteris eiusmodi, in quibus sola apparet diuersitas penes qualitates purè physicas; potest autem Deus in ordine supernaturali totidem modis

operari, quot modis potest in ordine naturali. Potest igitur disponere, ac inuare voluntatem per motiones, ac qualitates purè physicas, non minus quam per actus intentionales illustrationum, & inspirationum. Ergo auxilia Gratia, quibus potest inuare Deus voluntatem humanam, non constituuntur adæquatè per illustrationes, & inspirationes, seu pias affectiones.

2. Inter auxilia Gratia continentur habitus supernaturales à Deo infusi, qui per seipsos habent vim inclinandi, & pertrahendi voluntatem. Ergo Deus potest illam inclinare, quod voluerit, per qualitates, & motiones actuales purè physicas, & non solum per cognitionem motuorum salutarium, & complacentiam in eisdem.

3. Concursus Dei vniuersalis exhibitus à Deo respectu actuum salutarium, habet rationem Gratia actualis, & quidem eius Gratia, de qua nonnulli Theologi putant fuisse præcipuam controuersiam Augustini, & aliorum Patrum cum Pelagio, ob ea testimonia, quæ indicata sunt quæst. 11. Ad 1. art. 2. Ergo aliquid aliud præter illustrationes, & inspirationes pertinet ad auxilia actualia Gratia.

Art. 1. Resp. Certum est, non licere Theologis, ut inducant inter auxilia Gratia ea, quæ in Conciliis & Patribus non reperiuntur expressa, aut satis indicata; Quandoquidem omnis doctrina de Gratia, ex sola Dei reuelatione descendit, eaque iuxta legitimum sensum scripturarum innotescit per Concilia, & Patres. In iis autem solè reperiuntur illustrationes intellectus, & inspirationes voluntatis, quarum est frequentissima in illis expressio, quin vlla vnquam fiat, vel expressio, vel insinuatio qualitatis, aut motionis purè physice; sed prorsus oppositum. Certè Concilium Mileuitan. can. 4. volens exponere naturam, & munera Gratia, solum definit: *per Gratiam reuelari nobis intelligentiam mandatorum, darique simul, scire quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Quæ omnia sunt purè intentionalia. Similiter Aug. 1. 2. de Bapt. paruul. c. 17. *Et autem, ait, innotescat quod latebat, & suauè fiat, quod non delectabat, Gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates.* Quæ doctrina utrobique esset defectuosa, & insufficiens, si aliquid præterea purè physicum superesset.

Art. 2. Vrgentius est eandem in rem, quod habetur c. 7. de Peccat. mer. *Cum autem, ait, ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suauè fiat, quod non delectabat?* Vbi ponderanda est particula exclusiua, *Quid aliud*, per quam excluduntur à ratione Adiutorij Dei omnia alia præter illustrationem, quæ sola aperit, quod latebat, & piam affectionem, seu inspirationem, quæ sola suauè facit suauitate delectanti, quod non delectabat. Licet autem particulam eiusmodi exclusiuam non habeat, vigoris tamen haud quaquā minoris est venusta expositio efficacitatis conuenientis Gratia, adhibita ab eodem Augustino tract. 26. in Ioan. col. 2. ad illud. *Nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quomodo, ait, voluntate credo, si trahor? Ego dico: parum est voluntate, etiam voluptate traheris; Paucisque interiectis, si Poëta dicere licuit; Trahit sua quemque voluptas. Non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio. Quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate; Et mox apponit exemplum; Ratum viridem ostendis oui, & trahis illam. Noces paruæ demonstrantur, & trahitur. Vnde scilicet interrogando, infert. Si ista trahunt, quoniam verum est: Trahit sua quemque voluptas, non trahit reuelatus Filius à Patre. Quid enim fortius desideras anima, quam veritatem? In quibus cum sollicitè conetur Augustinus exprimere motionem & efficaciam Gratia, solas exprimit cognitionem veritatis, & delectationem voluntatis.*

Art. 3.